



66

Original. T. 1. 1. 1.


01

11/12


U. q. 245













DISPUTATIO  
DE DEFENSIONE  
NECESSARIA:

EX SCHOLIS CLARISSIMI  
VIRI, DOM. GEORGII OBRECHTI  
ARGENTINENSIS REIPUB. ADVOCA-  
TI, ET ACADEMIÆ ANTECESSO-  
RIS CELEBERRIMI, EX  
CERPTA:

ET SUB EJUSDEM PRÆSI-  
DIO PUBLICI EXERCITII CAUSA  
PROPOSITA

à

CAROLO JÖRGER LIBERO BARONE  
IN KREUSPACH, AUSTRIÆ SUPERIORIS  
PRÆFECTO HÆREDITARIO &c.



ARGENTORATI.

*Typis Jofie Rihelii, per Andream Rietchiura*

ANNO CHRISTI M. DC. IIII.









AUSPICE DEO  
OPT. MAX.

DE DEFENSIONE NECES-  
SARIA.

THESIS. I.



DEFENSIONIS materia, quotidiana, utilis & neces-  
saria est.

II. Nam singulis penè diebus, de ea in nostris  
judiciis agi solet.

III. Et hac cognitâ non solùm intelligitur, quò usque vis  
illata repelli, sed etiam quomodo se Defensor ab homicidii pœ-  
na liberare possit.

IV. Imò sine hujus cognitione, nec Judex, nec Litigatores,  
quid sibi in gravissimis defensionis quæstionibus statuendum,  
quidve faciendum sit, scire possunt.

V. Cum autem interpretum juris & Pragmaticorum, de  
hac juris parte non eadem sit sententia: Sed plerique in præ-  
cipuis quæstionibus è diametro inter se pugnent: quorum dif-  
fensiones eò sint intolerabiliores, quòd hîc non de bonis cadu-  
cis, sed plerunque de vita hominis agatur.

VI. Iccircò operæ precium esse duximus, præcipuas hujus  
materiæ quæstiones ad disputandum proponere: ut ita veritas  
eò melius inquiri, & inventa ad usû accommodari possit: DEUS  
OPT. MAX. suâ nobis adsit gratiâ.

*De definitione, & divisione Defensionis.*

VII. Et quidem defensio nihil aliud esse vide-  
tur quàm instantis, vel jam illatæ vis propulsatio.

VIII. Distingui respectu objecti potest in personalem  
& realem.

IX. Personalem appellamus, quando q̄s à se, vel ab aliis,

A 2



vim instantem, vel jam illatam propulsat.

X. At realem vocamus, quando quis à reb<sup>9</sup> suis vim repellit: quando quis, inquam, res & bona sua contrà vim defendit.

*Quo jure defensio introducta sit.*

XI. Defensionis causa efficiens alia remota, alia p<sup>p</sup>inqua est.

XII. Remota est jus gentium. Nam *in l. 1. in fi. D. de jus. & ju.* definitur jus gentium: & postea in quatuor sequentibus legibus, hujus juris exempla enumerantur.

XIII. At Conanus defensionem non jus gentium, sed juri naturali ascribit: quia omnium bestiarum sensibus infixum est, ut vim vi repellant, & probè in suo genere degant.

XIII. Nos dicimus omni jure vim vi repelli posse. Nam naturali jure repelli potest: quia vitæ corporis simplex defensio, omnibus animantibus tributa, naturalis est. Ex naturali enim inclinatione oritur, quæ homini cum reliquis animantibus communis est.

XV. Sic etiam jus gentium repelli potest: quia illa defensio quæ ratione nititur, & qua societas humana conservatur, jus gentium est. Hæc enim solis hominibus, non etiam brutis animantibus nota est.

XVI. At jure civili & Canonico vis vi repelli potest: quia hoc utroque jure jus naturale & gentium est confirmatum, & moderatio inculpatæ tutelæ melius est explicata *l. 1. C. Unde vi, l. scientiam 45. §. qui cum aliter D. Ad L. Aquil. c. 2. c. 3. & c. significasti 18. C. de homicid.*

XVII. Nec astipulamur Decio, affirmanti defensionem iccirco jus gentium esse, quod hoc jure liceat vim cum iniuria conjunctam repellere: quia vis injuriosa, ab alia vi, hoc jure non distinguitur.

XVIII. Non etiam illis assentimur, qui defensionem iccirco juri civili assignant, quia moderatio inculpatæ tutelæ hujus juris est *d. l. 1.* Nos enim hanc moderationem non juri civili, sed jus gentium tribuendam putamus.

*Quibus*



*Quibus instrumentis & à quibus personis defensio fieri possit.*

XIX. Satis de causa remota defensionis. At propinqua causa, vel est agens, vel est instrumentum agendi.

XX. Agens defensionis causa est homo: quia hic vim re ipsâ propulsat.

XXI. Nec refert cujus hic sit ætatis, conditionis, aut sexus: quia indistinctè **Quilibet** contrà vim se rectè defendit.

XXII. Et propterea infans, puer, adolescens, vir, senex, mulier, Studiosus, Doctor, Apostolus, Presbyter, Monachus & alii quicunq; vim iminentem, vel jam illatam justè propulsant.

XXIII. Potest autem ad agentem defensionis causam, et jam Mediator referri: quatenus alios defendere nititur.

XXIV. Hic si veri Mediatoris partibus fungitur, et si alterum lædat, non tamè actione injuriarum conveniri potest: quia abest injurandi animus *no. Angel. Bald. & Felin. in l. i. §. si sibi manus, & §. occisorum D. Ad SC. Syllan.*

XXV. Quod si Mediator se inter Defensorem, & aggressorem interponat, & Defensoris gladium, vel manum arripiat, atque teneat, nè se contrà Defensorem tueri queat, si à Defensore percutiatur, vel occidatur, refert, an

XXVI. Defensor in certo vitæ periculo fuerit constitutus, an non fuerit constitutus.

XXVII. Priori casu Defensor nec de percussione, nec de occisione tenetur: quia quod fecit, sui defendendi causâ fecit. Nisi enim se Mediatori opposuisset, vel ab aggressore graviter lædi, vel planè occidi potuisset.

XXVIII. At posteriori casu, aut de percussione, aut de occisione Defensor tenetur: quia nullâ impellente necessitate, Mediatorem percussit, vel interfecit: Et hæc de causa agente.

XXIX. Instrumentalis defensionis causa est, si quis ad sui defensionem gladium, vel pugionem, vel hastam, vel pugnos



adhibet: quia defensio non immediatè, sed mediatè, instru-  
mento aliquo fieri solet.

XXX. Nec refert quibus armis se quis defendat: quia  
quæcunque arma necessitas suppeditat, iis rectè uti licet. Ad  
hunc enim usum arma inventa sunt, ut vim & injuriam arceant.

*De iis contra quos se quis defendere possit.*

XXXI. Quoniam Defensor respectu offendentis dici-  
tur: illo jam cognito, meritò & hic cognosci debet.

XXXII. Et quidem Dominicus à Soto *lib. 5. de jus. & ju. q. 1. art. 8.* existimat, si aggressor sit Rex, vel Dux, vel alia persona  
Reipub. valde necessaria: at in vasus sit homo vilis, cujus vita u-  
tilitati publicæ parum profit: quod in vasus ex charitate potius  
mortem perferre, quàm eam alteri inferre debeat.

XXXIII. At sicut nihil refert quis ille sit, qui vim depel-  
lit: ita quoque nihil referre dicimus, quis ille sit, qui vim facit:  
quia omnia jura vim vi repellere simpliciter permittunt: nec di-  
stinguunt: ut meritò nec nos distinguere oporteat.

XXXIV. Nam *in L. 3. D. de jus. & ju. in l. scientiam 45. §. qui  
cum aliter D. Ad L. Aquil. & in l. 1. C. Unde vi*, simpliciter & indi-  
stinctè affirmatur, Licere cuique vim atque injuriam  
propulsare: vel vim vi repellere.

XXXV. Ex his verbis duo colliguntur: Primum est:  
Quilibet contra quemcunque, vim atq; injuri-  
am inferentem se defendere potest. Ubi enim est  
vis atque injuria, ibi propulsationi locus est.

XXXVI. Alterum est: Non potest quis contrà il-  
los se defendere, qui vim atq; injuriã non inferunt:  
quia ut defensi locum habeat, vim atq; injuriam præcedere o-  
portet.

XXXVII. Et propterea ubi non adest violenta, vel inju-  
riosa offensio: non quoque locum habere potest defensio: vel,  
ut nostri interpretes loquuntur, ubi offensio est licita, ibi defen-  
sio est illicita.

Hujus



XXXVIII. Hujus generis sunt offensiones, quæ à Parentibus, Præceptoribus, Dominis, Magistratibus, Magistratum ministris, & maritis fiunt.

XXXIX. Et quidem liberi non possunt resistere parentibus, qui eos gravius objurgant, pulsant, atque verberant: quia hoc modo parentes liberis nullam vim, nullamque injuriam faciunt: sed suo jure utuntur *l. 3. C. de patr. potes.*

XL. Est tamen paternæ castigationis potestas non imensa, sed moderata, & quasi certis cancellis inclusa *l. in suis 11. D. de lib. & post. d. l. 3. & l. ul. C. de patr. potes. & l. un. C. de emendat. propinq.*

XLI. Nihilominus, si parentes cancellos sibi præscriptos excedant, non licet liberis per vim parentibus resistere: etsi communis Interpp. schola aliud statuatur.

XLII. Nos enim, vix ullum casum esse credimus, quo liberis adversus parentes concedi queat, ut illis resistere, & vim vi repellere possint.

XLIII. Sic discipuli non possunt resistere præceptoribus castigantibus: quia cum castigatio præceptoribus concessa sit *l. sed etsi 5. §. ult. D. Ad. L. Aquil. hoc jure si utuntur, nullam vim, nullamque injuriam faciunt.*

XLIV. Refert tamē, an Præceptores in disciplina modum servent, an verò excedant.

XLV. Priore casu jam dicta sententia vera est: non etiam posteriore. Si enim præceptor in disciplina vulnerat, vel occidit discipulum, tenetur Lege Aquiliâ, vel Lege Corneliâ de sicariis *d. l. sed etsi §. ul.*

XLVI. Servi quoq; Dominis suis corrigentibus resistere nequeunt: quia Domini servos jure corrigere possunt *l. Prator 7. §. praterea vers. nec enim, cum §. seq. D. de injur.*

XLVII. Magna autem inter antiqui juris servos, & nostri sæculi famulos atque ministros, est differentia.

XLVIII. Nam in veteres servos Domini olim vitæ necisque potestatem habuerunt: & quamvis hæc postea ad moderationem reducta sit: perpetuum tamen servitutis jugum mansit.

XLIX. At nostri famuli & ministri, liberi & sui juris sunt:

nec



nec sunt in potestate Dominorum: sed his pro certa mercede ministrant.

L. Itaque quæ de veteribus servis in jure reperiuntur, ad nostri ævi servos atque ministros simpliciter accommodari non possunt.

LI. Præterea subditi non possunt resistere Magistratui suo: quia cum Magistratum suum colere eique obedire teneantur: eò quod illis sit loco patris: eo ipso illi, officii sui partes exequenti, resistere prohibentur.

LII. Non enim vim atque injuriam infert, quando munere suo fungitur *l. 3. §. 1. D. Quod met. cau. & l. quemad. 29. §. Magistratus vers. siquid D. Ad L. Aquil.*

LIII. Non etiam Sontes, qui ab Apparitoribus ad pœnam, aut ad carceres ducuntur, his resistere possunt: quia ut juris executio non habet injuriam *l. injuriarum 13. §. 1. D. de injur.* ita nec vim continet *d. l. 3. §. 1. D. Quod met. cau.*

LIV. Quod si tamen Apparitores officio suo non rectè funguntur: sed datâ operâ & dolo malo alios percutiunt, vel vulnerant, vel interficiunt: ut sæpe ab hoc hominum genere ex tribu levi, fieri solet: certè ejusmodi facta, prætextu officij non excusanda, sed, cum Boerio & Grammatico, gravissimè vindicanda dicimus.

LV. Unde illorum opinionem rejicimus, qui Vigilibus, Lictoribus & Apparitoribus licere volunt, ut fugientem malefactorem impunè vulnerare, aut interficere possint: quia fugiens non resistit: sed tantùm fugâ sibi consulit *Fachin. lib. 9. cap. 74.*

LVI. Planè nec uxores resistere debent maritis corrigentibus.

LVII. Verum quidem est maritos uxores suas durius & atrocius corrigere non posse: quia *l. consensu 8. §. si qua igitur C. de repud. expressè constitutum legimus.* Si uxor probaverit se à marito verberibus, quæ ingenuis aliena sunt, affectam, quod ei repudium mittere possit.

LVIII. Et si



LVIII. Etsi enim hæc Lex per nov. 117. c. 14. quò ad repudium mutata sit: immutata tamen in eo permansit, quo maritis uxores suas verberibus afficere, vel durius tractare fuit prohibitum.

LIX. At levis, seu moderata correctio atque castigatio, quam justa causa præcedit, maritis non est interdicta, ut affirmant Alexand. Panormitan. & Menochius.

LX. Ex quo si maritus uxorem, ex justa causa, leviter castiget: & eam non verberet, sed tantum pulset: uxor verò ei resistat: certè hoc ipso maritus justè, at uxor injustè agit.

LXI. Etsi verò ex jam dictis constet: Non licere nobis contrà illos nos defendere, qui vim atque injuriam non faciunt: non tamen iccirco inferendum, nos non posse contrà bruta animantia, in nos impetum facientia, item contra furiosos, contra mente captos & dormientes noctambulos qui nos invadunt, nos defendere.

LXII. In defensione enim non requiritur vis faciendi, & injuriandi propositum: Sed sufficit, ut vis inferatur: sive id ex proposito fiat, sive non fiat ex proposito: quia ubicunque violenta & injuriosa adest offensio, ibi defensioni locus est.

LXIII. Ex quo multò magis contrà ebriũ & remulentum, qui te per vim invadit, defensionem tibi concessam dicimus: adeò ut vim vi repellere, & servato inculpatæ tutelæ moderamine, illum interficere possis.

LXIV. Et de hoc egregia facti species reperitur apud Demosthen. in orat. contrà Midiam. Nam Bæotus ebrius, Evæonem, fratrem Leodamantis, cum ad coenam invitasset, vulneravit: qua injuriâ Evæo motus, Bæotum interfecit.

LXV. Qua de causa Evæo à judicibus fuit condemnatus. Etsi enim Judices non fuerint unanimes: vicit tamen sententia condemnatoria, & quidem uno duntaxat calculo: sed nihilominus vicit.

LXVI. Nos autem disputando ostendere conabimur, Evæonem injustè condemnatum fuisse.

B



*De personis circa quas defensio  
versatur.*

LXVII. Cognitis iis qui se defendere possint, & contra quos defensio permessa sit, recte jam discimus, circa quæ defensio versetur. Ex hoc enim objectum defensionis cognosci poterit.

LXVIII. Hoc autem sunt personæ, & res: quia circa utrasque defensio occupatur. Tam enim personæ, quam res defenduntur.

LXIX. Personæ vel sunt propriæ, vel necessariæ, vel extraneæ.

LXX. Propriæ personæ citrà dubium rectè defenduntur: quia de his præcipuè jura loquuntur *l. 3. D. d. jus. & ju. l. itaq. 4. D. Ad L. Aquil. & l. 3. C. Ad L. Cornel. de Sicar.*

LXXI. At necessariæ personæ sunt parentes, filii, conjuges, affines & consanguinei: quia in has, præter cæteras, necessaria officia conferuntur, ut Ælius Gallus ait.

LXXII. Has personas vulgò necessariò defendendas esse arbitrantur: adè ut homicidium, ob harum defensionem commissum, puniri nequeat.

LXXIII. At nobis hæc opinio scrupulo carere non videtur: quia passim in jure ob sui tantum corporis defensionem cædes impunè permittitur *d. l. 3. D. de jus. & ju. d. l. itaque D. Ad L. Aquil. & d. l. 3. C. Ad L. Corn. de sicar.*

LXXIV. Nec immeritò: quia aliàs multis homicidiis perpetrandis ansa daretur.

LXXV. Nihilominus si pater filii sui aggressorem, vel filius aggressorem patris, vel conjunx aggressorem conjugis, vel consanguineus aggressorem consanguinei, defensionis studio interfecerit: non iccirco pœnâ homicidii ordinariâ, sed extraordinariâ occisor nob. plectendus videtur.

LXXVI. Quod si verò in his necessariis personis eò res pervenit:



pervenit: ut, dum Pater filium, vel filius patrem, vel conjunx  
conjugem, vel consanguineus consanguineum, contra aggressor  
forem defendere nititur, & aggressor, dimisso patre, vel filio, vel  
alio, in defensionem irruat: tum omninò Defensor vim vi re-  
pellere, & sui defendendi causâ alterum occidere potest: quia  
jam non amplius de aliena, sed propria salute agitur.

LXXVII. Sicut autem DD. communiter ob necessaria-  
rum personarum defensionem, impunè eadem permittunt: ita  
etiam Bartholus & communiter alii volunt, nos etiam extra-  
neos defendere, & ea de causa illorum invasores occidere  
posse.

LXXVIII. Hanc opinionem Bartholus & alii, multis ra-  
tionibus & argumentis probare nituntur.

LXXIX. At nos idem in extraneis, quod in necessariis  
personis asserimus: nempe ob extraneorum defensionem im-  
punè non esse eadem permissam: quia Bartholi & aliorum opi-  
nio nullo jure probatur: & quia jure tantum ob proprii corpo-  
ris defensionem, cædes impunè fieri potest.

LXXX. Unde glossa non ausa fuit l. 3. D. de just. & ju. et-  
jam ad extraneos extendere.

LXXXI. Hoc quidem verum est, si quis aliquem in peri-  
culo constitutum videt, æquum esse & juri consentaneum, ut  
periclitantem proximum, si absque vitæ suæ jactura potest, ad-  
juvet: quia hoc dilectio proximi, & cognatio, quæ est inter ho-  
mines, requirere videntur.

LXXXII. At non idem est, si quis sine vitæ suæ detri-  
mento periclitantem non potest tueri. Tum enim ei succurrere  
non tenetur *6. ex parte 47. de appellation.* quia propria charitas in-  
cipit à se ipso: & nemo se in præsens periculum conjicere cogitur  
*l. si pater 34. § 1. D. de donation. l. metus 9. §. sed licet D. Quod met. caus. &*  
*quia id tantum alteri quis præstare cogitur, quod sibi non nocet*  
*l. 2. §. item vers. quanquam D. de aq. & aq. plur. arc. & l. 2. in pr. D. solut.*  
*matrim.*

B 2



LXXXIII. Et hoc est quod Seneca dixit: Dabo e-  
genti, sed ut ipse non egeam: Succurram peritu-  
ro, sed ut ipse non peream.

LXXXIV. Nihilominus si fortè is qui periclitanti opem  
fert ejus aggressorem interimat, non quidem impunè feret,  
quia hæc cædes non reperitur jure probata: attamen non pœnâ  
ordinariâ L. Corneliæ, sed extraordinariâ est afficiendus: quia  
utique non dolo malo, & animo occidendi, sed potius defensio-  
nis studio alterum interfecit.

LXXXV. Et sanè inter defensionem propriam, & de-  
fensionem aliorum non levis est differentia.

LXXXVI. Nam qui se ipsum defendit, suum adversari-  
um sibi habet oppositum, & solus aggressori, vel percussori suo  
resistere cogitur.

LXXXVII. At qui alium defendit, nullum sibi opposi-  
tum habet adversarium: sed ipse alii oppresso opem ferre, & e-  
jus adversarium repellere atque remove conatur.

LXXXVIII. Ex quo opitulatores facile efficere potest, nè  
alter vel gravius vulneretur, vel occidatur: dum vel aggressoris  
ictus avertit, vel ut recedat impellit.

LXXXIX. Quod si verò aggressor etiam Opitulatores  
vi aggreditur: tum ei quoque vim vi repellere licet: quia jam  
non amplius de aliena, sed propria salute ac defensione agi-  
tur.

XC. Non tamen negamus ubique ferè receptum esse, ut  
tam ob necessariarum, quàm extranearum personarum defen-  
sionem; impunè homicidium fieri possit: quam benè & justè, ex  
antedictis aliquo modo constat.

### *De rerum defensione.*

XCI. Cognitâ primâ objecti defensionis parte, quæ est de  
defensione personarum: jam altera pars, de defensione rerum,  
est enodanda.

XCII. De



XCII. De hac autem diversi diversa statuunt. In eo quidem omnes conveniunt, res nostras à nobis defendi posse.

XCIII. Nam finge, cum domi essemus, adversarios irruptionem in ædes nostras fecisse, aut scalis admotis murum pervadere conatos esse: certè omnes hic admittunt, ad deturbandos & propellendos adversarios, omnibus nos armis uti posse, quibus deturbari cominus & propelli possunt.

XCIV. At in eo non idem omnes sentiunt, an pro rebus tuendis, æquè ut pro tuendo corpore, invasores non tantùm repellere, sed etiam occidere liceat.

XC V. Licere autem primus affirmasse videtur Accursius in l. 3. in verb. nam jure D. de jus. & ju. quem postea alii magno consensu & numero secuti sunt: non secus ac aves regales: quarum unam prævolantem, omnes reliquæ sequuntur.

XC VI. Huic receptæ opinioni multi ex Interpp. se opposuerunt, ut refert Volzcius in commentar. ad L. Carnel. de Sicar c. 7. n.º 92.

XC VII. Et rectè. Inter hominum enim & rerum defensionem aperta est differentia: ut meritò utrobique non idem jus sit statuendum: quia vita hominis nisi in continenti defendatur, semel amissa recuperari nequit: at res ablata actionibus & interdictis repeti possunt: & quia homines sunt creaturæ nobilissimæ, ad imaginem DEI creatæ, & præciosissimo Christi sanguine redemptæ: at res sunt bona caduca, & respectu hominum vilissima, nec per se, sed hominum gratiâ comparata.

XC VIII. Et propterea sola rerum corporalium jactura, neminem commovere debet, ut aliquem interficiat. Quomodo enim apud divinam providentiam à peccato liberi erunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt? ait D. Augustin. lib. 1. de lib. arbitr. c. 5.

XC IX. Nec constituimus discrimen, inter res viles, quæ valent duos aureos, & res preciosas, quæ pluris constant, ut quidam ex DD. senserunt.

B. 3



C. Non quoque inspiciendum arbitramur, an via juris res nostræ recuperari possint, vel non possint, ut multis ex interpretibus nostris placuit.

CI. Unde nec licere dicimus, ut quis raptorem, fugientem cum rebus, telo, aut bombardæ ictu prosternat, *cum Couvarvuv. in Clem. si furiosus, p. 3. §. un. de homicid. n. 6. vers. nonò si rectè.*

CII. Unde etiam Thomæ Aquinatis, Cajetani, Gregorii de Valentia, Petri de Arragon, & aliorum opinionem rejicimus, qui volunt, etiam in foro conscientiae res, cum occisione alterius, defendi posse.

CIII. Unde quoq; S. Antonini, Sylvestri, Petri à Navarra & aliorum opinionem improbamus, qui etiam Clericis concessum dicunt, ut res suas, cum cæde alterius, defendere possint.

CIV. Unde denique nec Jasonis opinionem admittimus, qui vult non solum incontinenti, sed etiam ex intervallo ob rerum defensionem posse quem alterum occidere.

CV. Quod si verò alter tibi, dum res tuas defendis, vi resistit, & te in vitæ discrimen adducit: tum jure concessum dicimus, ut vim facientem cum cæde repellere possis: quia jam non amplius de rebus, sed de proprii corporis salute agitur.

CVI. Et hoc est quod Fortun. Garzia *in l. 3. n. 28. D de jus. & ju.* Periculum, ait, personæ, reddit justum furis vel raptoris occisionem: non autem periculum rerum.

CVII. Ad rerum autem defensionem etiam defensio fame & existimationis pertinet: quia hæc quoque est res aliqua, in mancipio & dominio nostro existens.

CVIII. Sunt quidem inter Scholasticos, qui famæ & existimationis dominium non penes nos, sed penes Rempublicam, & nos ejus tantum custodes esse volunt.

CIX. At nobis verius videtur, honoris & famæ nostræ, non minus nos esse Dominos, ac pecuniæ & aliarum corporalium rerum: quia ut alias res, benedicente Domino, labore & industria nostrâ adipiscimur: ita bona fama & existimatio, non à  
Repub.



Republica, sed virtute nostrâ paratur.

CX. Unde communiter fama nostra, non Reipubl. esse dicitur: adeò ut Aristoteli *lib. 1. Ethic. c. 10.* non minima nostræ felicitatis pars fama esse videatur.

CXI. Unde etiam ob læsam famam nobis, non Reipublice actio datur.

CXII. Unde deniq; in nostro arbitrio est, famam & existimationem nostram negligere: cujus tamen Paterfamilias primam semper rationem habere debet *l. Quintus 48. in pr. D. mand.*

CXIII. Hanc autem famã & existimationem nostrã, verbis injuriosis læsam, per vim defendi posse communis est DD. opinio: adeò ut conviciis laceffitus, ob sui honoris defensionem alium occidere queat.

CXIII. Nobis hæc opinio juri & æquitati non videtur esse consentanea. Nam ubi in jure de defensione agitur, semper ei vis opponi solet *l. 3. D. de jus. & ju. l. 4. & l. 5. D. Ad L. Aquil.*

CXV. Et propterea quod in jure de propria vitæ defensione est constitutum: ad defensionem famæ non est referendum: quia in existimationis, & vitæ defensione, diversa apparet ratio.

CXVI. Nam injuria, nostræ existimationi illata, extra judicium recriminando repelli, & in judicio actione injuriarum vindicari potest *l. qua omnia 25. §. 1. D. de Procurat. & to. tit. D. & G. de injur.*

CXVII. Hoc autem ut melius intelligatur, aliquot casus sunt considerandi. Nam vel plebejus plebejum, vel plebejus virum nobilem, & in dignitate atq; auctoritate aliqua constitutum, vel deniq; nobilis, & qui in dignitate & auctoritate aliqua est constitutus, plebejum, & humiliorem conviciis afficit.

CXVIII. Jam primo casu, non cogitur injuriatus injuriam, ab æquali sibi illatam, ferre: quia, ut nostri loquuntur, etiam asinus non immeritò indignatur, si per parem apprehenditur.

CXIX. Et propterea hanc injuriam vel retorquere, vel actione injuriarum vindicare potest.

CXX. Act



CXX. At secundo casu Salomonius injuriato licere putat, ut non iterum verbis, sed verberibus, & per vim existimationem suam tueatur.

CXXI. Nobis hæc opinio juri contraria videtur. Cum enim alii defendendæ famæ & existimationis modi supersint, non est ad violentam defensionem perveniendum *l. scientiam 45. §. qui cum aliter D. Ad L. Aquil.*

CXXII. Potest autem injuriatus vel more Sapientum, vel jure famam suam defendere.

CXXIII. More Sapientum defendit, Si cum Catone ad injuriantem dicit, Impar mihi tecum certamen est: Tu fuetus moribus digna tuis audire probra, eadem in alium gestis fundere: mihi verò malè audire quidem insolitum est: malè autem dicere ingratum.

CXXIV. Vel cum Xenophonte respondere potest: Tu maledicere didicisti: at ego, conscientiam teste, didici maledicta contemnere: vel cum Demosthene: Non descendo in certamen, in quo victus victore superior est: *ἔσσυκαλαβαίνω εἰς ἀγῶνα, ἐν ᾧ ὁ νικῶν ἐστὶ νικῶν ἐστὶ κρείττον.*

CXXV. Et propterea si hos sequitur, nè verbis quidè aperte & expressè injuriam retorquebit: multò minus injurianti vim faciet: sed ut Conviciator suæ linguæ, ita ipse suarum aurium erit Dominus: & cum Antirane ostendet, suam linguam auditis esse robustiorem: cum singulis hominibus, sint singulæ linguæ, sed aures binæ.

CXXVI. Quod si verò neglecto hoc medio, jure vult uti: rursus non poterit verbalem injuriam per vim repellere. Ubi enim alii defendendæ famæ modi supersunt, non est ad violentam defensionem perveniendum *d. l. scientiam §. qui cum aliter:*



ser: præsertim cum ex hac facile homicidium oriri possit.

CXXVII. At hic injuriato alii defendendæ famæ modi supersunt: quia injuriam retorquere: vel eam actione injuriarum civiliter, vel criminaliter vindicare potest. Et propterea merito his mediis contentus esse, nec ad violentam defensionem profilire debet.

CXXVIII. Nihilominus si primo, & hoc secundo casu, injuriatus ad violentam defensionem progreditur, & fortè injuriantem interficit: non iccirco pœnâ homicidii ordinariâ, sed extrâ ordinem nob. puniendus videtur: quia injurians injuriato ad perpetrandam cædem causam dedit: ut cum Baldo non malè princeps culpæ dici possit: quia ab eo malitia incepit.

CXXIX. Tertio verò casu, si scilicet nobilis & in auctoritate aliqua constitutus, plebejum & humiliorem injuriâ afficit: plebejus pro defensione famæ & existimationis suæ, iterum illis modis uti potest, quib. in primo, & secundo casu injuriatum uti posse diximus: quia illis modis famam & existimationem suam satis tueri potest: ut merito ad violentam defensionem non debeat progredi.

*In quo ex Interpretum & Pragmaticorum judicio moderamen inculpatæ tutelæ consistat.*

CXXX. Post explicationem causæ efficientis, subjecti, & objecti, rectè jam de forma defensionis agitur: ut ita constet, quomodò defensio fieri possit.

CXXXI. Et quidem Interpp. juris & Pragmatici hanc, in moderamine inculpatæ tutelæ consistere volunt.

CXXXII. Rectè. Non enim quocunque modo quis vim atque injuriam repellit, jure fecisse existimatur: sed si cum moderamine inculpatæ tutelæ repellit *l. i. C. Unde vi.*

CXXXIII. Hoc autem moderamen in modo, in tempore & in causa defensionis Interpp. & Pragmatici dicunt consistere.

C



CXXXIV. In modo: ut inermis cum inermi, & armatus cum armato, non dispari, sed pari armorum genere congregiatur.

CXXXV. In tempore: ut propulsatio in continenti fiat, non ex intervallo: quod tamen ad eam vim restringunt, quæ personæ infertur. Illam verò quæ infertur rebus, etiam ex intervallo propulsari posse dicunt.

CXXXVI. In causa denique, ut propulsatio ad defensionem, & non ad vindictam fiat.

CXXXVII. At minus rectè jam explicatâ ratione in modo tempore & causa moderamen inculpatæ tutelæ ab Interpretibus & Pragmaticis consistere dicitur: quia nusquam in jure legitur, quod æquo Marte & paribus armis vis propulsari debeat: sed contrarium legibus & rationibus probari potest: & quia tempus non ad moderamen inculpatæ tutelæ: sed ad ipsam propulsationem & defensionem pertinet: nec inter defensionem personarum & rerum jure civili in tempore differentia constituta reperitur: quia denique in jure non tam animum, quàm actum propulsandi inspicimus, ut hæc alibi prolixius explicata sunt.

*In quo revera moderamen inculp. tutelæ  
jure consistat.*

CXXXVIII. Nos omisâ priore opinione cum Salomænio in d.l.3. D. de jus. & ju. dicimus, moderationem inculpatæ tutelæ verbo Propulsandi compendiosè describi: quia hæc moderatio simpliciter in propulsatione consistit teste Florentino in d.l.3. ubi simpliciter Cuiquè jure gentium licere, ait, ut vim atque injuriam propulset.

CXXXIX. Hoc autem Propulsandi verbum tria inquit, quæ singulariter notanda sunt: Primum est, Quod  
ne-



nemo vim atque injuriam ferre cogatur: sed eam jure propulsare queat. Offensus enim omni jure vim vi repellere, seque à vitæ periculo quocunque modo liberare potest *d.l.3.*

CXXX. Hoc tum fieri videtur, si quis in vitæ periculo constitutus, usque ad mortem adversarii se defendit: at cessante vitæ periculo, si tantum se defendit, quantum necessitas, requirit.

CXLI. Nec facimus discrimen inter arma, quibus vis infertur: sed hoc tantum inspicimus, an quis armis alterius in discrimen vitæ adductus sit. Tum enim armis offensus, quocunque modo se, vitamque suam tueri potest.

CXLII. Et propterea si quis te ense, vel hasta, vel pugio-  
ne aggreditur, qui illi inermis videris, cum nulla apparentia arma, sed tantum bombardulam in caligis occultatam habes: si te in vitæ periculum conjectum animadvertis, non immeritò bombardulam proferre & arripere, & aggressorem tuum globulo trajicere potes, ex Mascardi sententia.

CXLIII. Alterum quod Propulsandi verbum innuit est, Quod semper vis vel injuria, hoc est, offensio aliqua violenta vel injuriosa adesse debeat: quia Propulsatio præsupponit offensionem. Per se enim propulsatio non subsistit: Sed ad violentam atque injuriosam offensionem respectum habet.

CXLIV. Hæc autem violenta & injuriosa offensio, vel imminet, vel jam est illata.

CXLV. Si imminet, rectè eam propulsare niteris: quia non exspectanda est percussio: & ut in constit. Carol. artic. 140. dicitur, *Es ist niemand mit seiner gegenwehr/biß er geschlagen würd/ zu warten schuldig*: Sed impetus ostendentis & armorum terror sufficit *l. idem est 3. §. qui armati vers. sufficit D. de vi & vi arm.*

CXLVI. Unde Accursius, Cynus, & alii, solas minas

C 2



sufficere arbitrantur in eo, qui minas exequi consuevit.

CXLVII. Nos cum Bartholo hoc tum demum admittimus, si extant actus & argumenta, animi re ipsa nocere volentis.

CXLVIII. Nam si quis simpliciter tibi eadem minatur, non æquum est ut eum statim vi invadas: quia nulla adhuc vera adest offensio. Minæ enim nihil aliud sunt quàm verba: quæ meritò non verberibus, sed iterum verbis sunt repellenda.

CXLIX. At si post minas ferrum arripit, gladium stringit, & in te cum impetu fertur, rectè te opponis: quia jam quodammodo in vitæ periculo versaris.

CL. Ex quo inferimus, Si vides latronem, vel adversarium, minaci animo è pharetra sagittam depromere, vel è theca bombardam eximere, vel gladium in vagina arripere: posse te, antequam Latro sicam intentet, vel adversarius arcum incurvet, vel bombardam displodat, vel gladium educat prævenire, & vim imminentem propulsare.

CLI. Non autem imminens tantùm offensio, sed multò magis jam illata rectè propulsatur *l. i. §. vim vi D. de vi & vi arm.* Nam quam diu instat aggressor, tam diu rectè vim repellis: quia quam diu offenderis, tam diu quoque te rectè defendis.

CLII. Et tum durante offensione non potest Defensori præscribi, quò usq; se tueri debeat: quia ignorat quousq; offendens progredi velit *sec. Baldum in l. i. n.º 10. C. Unde vi.*

CLIII. Cum verò defensionem non sit locus, nisi ad sit offensio: inde quæri potest: An evocatio pro tali offensione haberi possit, ut contraria vi propulsari possit?

CLIV. Exempli causâ Titius te verbis minacibus evocat, & nisi compareas, se nebulonis loco te habiturum dicit: *Bistu ein redlicher gesell/ ait, vnd kein Schelm/ so fust vnd wehr dich mein:* Aut simpliciter dicit, *fust her/ oder heraus/ vnd wehr dich mein.*

CLV. Et sanè vulgò hæc evocatio pro tali offensione habetur, cui propulsatio jure opponi queat.

CLVI. Plerique enim putant, hac evocatione ita Evocati famam



famam & existimationem lædi, ut ejus defendendæ causa rectè cum Evocante manus conserat: adeò ut nisi hoc faciat, pro homine timido & effœminato, & qui famam suam negligit, habendus sit.

CLVII. Verùm distinguenda nobis videtur offensio. Alia enim fit verbis & facto simul: alia verbis tantùm.

CLVIII. Priore casu si quis te verbis evocat, & simul in te cum armis irruit, rectè illi resistis: quia non tantùm verbis, sed etiam verberibus & plagis offenderis. Et propterea vim vi omni jure propulsare potes, suprà thesi 14. cum seqq.

CLIX. At secundo casu si quis te verbis offendit, & verbali injuriâ afficit, iterum te verbis defendere, non autè hanc verbalem offensionem, per vim vindicare debes d. sup. thesi 126. cum seq. At talis est offensio, si quis te verbis injuriosis, vel simpliciter verbis evocat d. Sup. thesi 154. quia utroque modo verbis tantùm offenderis.

CLX. Et propterea si Evocator verbalem evocationè non egreditur, nec te per vim invadit, iterùm verbis illi respondere, & ut te missum faciat, tecumque jure experiatur, petere debes.

CLXI. Quod si verò verbis injuriosis instat, teque verbali injuriâ afficit: tum vel in continenti injuriam retorquere, vel eam actione injuriarum persequi potes d. sup. thesi 116.

CLXII. Et huc pertinet hujus Reipubl. constitutio municipalis, Anno Christi 1583. mense Novembri edita: Cujus hæc sunt verba: Gebietten demnach vnseren Burgeren / Burgers Söhnen / Studiosen / Inwohnern / Angehörigen oder Schirms verwandten / Ledigen handwercks gesellen / vnd in gemeine Allen vnd jeden / die sich wehr zugebrauchē / tauglich selbs dunckē / daß sie in der Stat / od̄ auch auf dē Landt / in Flecken / oder auff dē feld / so weit vnser Obrigkeit vnd Gebiet sich erstreckt / solches außheischens / außforderens / vnd was der gleichen mehr zu beschädigung des andern erdacht werden mag / sich gänzlich enthalten / vnd ein Jeder vmb seiner zu dem andern habenden Anspruchs willen / ordenlicher vnd erlaubter mittel sich gebrauche: mit dem Anhang / da dergleichen außforderen wider diß vnser verbott sich ferner begeben / vnd einige entleibung dar-



über entlehn solt / daß über den entleibten / da das Außheischen durch  
Ihne beschehen / kein Recht soll gegen dem Thäter gestattet / vnd  
nicht desto weniger derselb durch vnß von Obrigkeit wegen / nach be-  
fundenen sachen / an leib oder leben gestrafft / der Thäter aber / da er  
den entleibten außgefördert / als ein fürseslicher Todtschläger / ver-  
mög weiland Keyser Caroli des fünfften peinlicher Halsgerichte  
Ordnung / am leben gestrafft werden. Da aber gleich kein todtschlag /  
sonder andere leibs beschädigung entstünde / beide theil vorgehörter  
ursachen wegen / als verächter Gottes vnd der Obrigkeit / nach geles-  
genheit der sachen / am leib oder leben gezüchtiget werden. Es soll  
auch ein Jeder so ein anderen obgesekter massen Auß zu forderen hin-  
fürter sich vermessen würdt / der ander erscheine oder nit / als bald wir  
des kündig werden / in vnsern Rahts schwehre straff / nach befündung  
der sachen vnd desselben erkandnus gefallen / vnd daß Außbleiben  
oder nicht erscheinen dem geforderten an seinen ehren vnshädlich  
vnd vnverleslich sein / etc.

CLXIII. Hac constitutione primò omnis evocatio, Alles  
außheischen / oder Außforderen / graviter prohibetur §. gebietten  
demnach: quia Evocator hoc ipso contra DEUM, contra Magi-  
stratum, contra proximum, & contra se ipsum peccat.

CLXIV. Deinde in verbis, vnd ein jeder vmb seiner zu des  
anderen habenden anspruchs willen cz. mandatur, ut, omisâ evoca-  
tione, quilibet contra alterum jure experiatur: quia ICCIRCÒ  
judiciorum vigor, jurisq; publici tutela in medio  
videtur constituta, nè quisquam sibi ipsi permit-  
tere valeat ultionem, ut Imp. Justin. in l. nullus 14. C. de Ju-  
daeis & Cælic.

CLXV. Tertio in vers. Mit dem anhang / da dergleichen re-  
tam contra Evocatorem, quam Evocatum, alterius occisorem,  
pœna statuitur.

CLXVI. At refert, an Evocator ab Evocato, an verò E-  
vocatus, ab Evocatore occisus sit.

CXVII. Priore



CLXVII. Priore casu vel constat evocationem factam esse, vel non constat.

CLXVIII. Si constat, tum ex hac constitutione Evocatoris, & occisi heredes, contra Evocatum, & occisorem, accusationem instituere prohibentur: quia occisus contra hanc constitutionem alterum evocavit: & quia hoc ipso propriæ cædis causa fuit.

CLXIX. At si de evocatione non constat, sed si hæc primum ab Evocato est docenda: ut plerunq; fieri solet: tum occisi heredes rectè contra occisorem accusationem instituunt: quia cum nondum liqueat an in hanc constitutionem peccatum sit, meritò accusatio permittitur, ut ex ea, & ex Rei defensionibus non tantum evocatio, sed etiam factæ cædis necessariæ circumstantiæ innotescant atq; probentur.

CLXX. Ubi verò ex actis apparet, illum qui occisus est fuisse Evocatorem: tum arbitramur, Evocatum, juxtà institutam accusationem, non posse condemnari: quia in hoc municipalis statuto Evocantis heredibus contra Evocatum accusatio denegatur, juxtà illa verba, *Das aber dem entleibten/ da das außheischen durch ihnen beschehen/ kein recht sol gegen dem thäter gestattet werden.*

CLXXI. Non tamen iccirco statuimus Evocatum ab omni pœna liberum esse: quia utiq; contra jus municipale cum Evocatore est congressus, eumq; interfecit.

CLXXII. Ut autem sciri possit, qua pœnâ Evocatus ob interfectum Evocatorem sit puniendus, referre dicimus, an Evocator ad vim faciendam fuerit paratus, an non fuerit paratus.

CLXXIII. Si fuit paratus, ut qui gladium evaginatum in manu habuit, tum iterum refert, an prior Evocatum per vim invaserit, an non invaserit.

CLXXIV. Si prior invasit, rectè Evocatus se defendere potuit: quia jure, vim vi, etiam cum cæde alterius, ei repellere licuit.

CLXXV. Ex quo non quidè ab instituta accusatione absolvetur:



vetur: quia, ut ante dictum, hæc ab occisi & Evocatoris heredi-  
bus institui non potuit: à pœna tamen homicidii à iudice libera-  
bitur, fortè his verbis, **In sachen Petri Clägers wider Theobal-  
dum beclagten/ ist nach allem fürbringen von ampts wegen zu recht  
erkant/ das Cläger seine fürbrachte peinliche anclag nicht erwissen/  
beclagter aber die eingewante nohtwehr zu rechtlichem genügen auß-  
sündig gemacht habe: vnd das deßhalb beclagter von der straff beganz-  
genen todtschlags ledig zu zelen seye: wie wir hiemit beclagten von bez-  
virter straff ledig erkennen/ den Clägern aber in alle auffgeloffene  
vnkosten fellig ertheilen.**

CLXXVI. Necessè tamen est, nè Evocatus moderationem  
in culpa tutelæ excesserit: alioqui arbitrio iudicis esset pu-  
niendus, de quo infra pluribus.

CLXXVII. At si Evocator non prior Evocatum invasit, sed  
ab Evocato, sine necessaria causa, in vasus & interfectus sit, ut di-  
cemus infra, tum à Magistratu omninò est puniendus: quia nul-  
lam vim passus, alteri vim intulit.

CLXXVIII. Quod si Evocator ad vim faciendam non  
fuit paratus, ut qui nec gladium evaginavit, nec in Evocatum  
imperum fecit, si Evocatus eum prior invadat & interficiat, gra-  
vi pœnâ est plectendus: quia cessante vi, alteri vim fecit: quia,  
inquam, eum interfecit, qui ei nullam revera vim intulit.

CLXIX. Et in hoc, ac casu præcedente, loqui videtur  
constitutio municipalis, **Das nemlich ein solcher thäter von Obri-  
keit wegen/ nach befundenen sachen/ an leib oder leben soll gestrafft  
werden: Et hæc locum habent si Evocator ab Evocato est occi-  
sus.**

CLXXX. Quod si verò Evocatus ab Evocatore fuit in-  
terfectus, is ut homicida est puniendus, *vers. der thäter aber: quia  
fuit provocator & aggressor: & quia ex qualitate lethalium ar-  
morum, & ex subsecuto homicidio apparet, eum occidendi ani-  
mum habuisse l. i. §. i. D. Ad L. Corn. de sicar. c. significasti, E. de ho-  
mucid. & no. Menoch. de arbitr. jud. quest. casu 295.*

CLXXXI. Qua de causa in Constit. Carolin. 137. in pr.  
dicitur, **Ein jeder Mörder oder Todtschleger/ wo er deßhalb nicht  
rechts**



recktmeßig entschuldigung außsieren kan/hat das leben verwircke.

CLXXXII. Quarto in verl. da aber gleich kein todtschlage ze. constituitur: Et si nec Evocator Evocatum, nec Evocatus Evocatore interfaciat: Sed alter alterum tantum vulneret, vel mutilet, nihilominus utrunque, ratione circumstantiarum, vel poenâ corporis, vel ultimo supplicio afficiendum esse: quia Evocator, DEI, Magistratus, & proximi violator est atque contemptor: & quia Evocatus contra juris municipalis prohibitionem comparuit, & adversarium suum vel vulneravit, vel mutilavit.

CLXXXIII. Hæc autem ita generaliter constituta, in specie magis explicanda sunt. Et quidem aut Evocator est armatus, aut non est armatus.

CLXXXIV. Si ense, gladio, vel hastâ acutâ armatus, statim cum impetu in Evocatum inermem irruit, eumque vulnerat, vel mutilat, gravi non immeritò poenâ plectitur: quia ex genere & qualitate armorum apparet, eum occidendi animum habuisse: adeò ut nisi alii se interposuissent, sine dubio Evocatum interfecisset *no. Mascard. de probat. vol. 2. Concl. 864. n. 3.*

CLXXXV. Non idem est si cum baculo, vel cum hasta exarmata, vel cum ensis capulo in evocantem irruit, eumque vulnerat, vel mutilat: quia ex his armis, & percutiendi modis, non præsumitur occidendi animus *Mascard. d. concl. 864. n. 4. & 5.*

CLXXXVI. Et propterea tum Evocator est quidem puniendus, quia contra jus municipale alterum evocavit, & læsit: at puniendus est lenius: quia non videtur animum occidendi habuisse.

CLXXXVII. At si Evocator gladio quidem, ense, vel hastâ acutâ est armatus: non autem prior Evocatum invadit, sed ab hoc cum gladio invaditur: certè si Evocatum vulnerat, vel mutilat, iterum quidem est puniendus: quia contra municipalem constitutionem alterum evocavit.

CLXXXVIII. At puniendus est mitius quia Evocatus illum ad vim faciendam incitavit: quia, inquam, Evocatus suæ

D



vulnerationi, seu mutilationi causam dedit.

CLXXXIX. Ex quo etiam arbitrio iudicis est puniendus. Graviori autem poena hic esset afficiendus, si *Evocatorem* baculo tantum, vel hasta exarmata instructum, prior vulnerasset, vel mutilasset *arg. eorum quae no. Mascard. d. Concl. 864. n. 4. & s.*

CLXXX. Sin autem *Evocator* nulla arma in promptu habuit, sed pugnis tantum alterum invasit, tum ea observanda sunt, de quibus agimus infra thesi 241. cum seqq.

CXCI. Sic etiam si quis inermis alterum evocavit, at *Evocatus* statim in *Evocatorem* cum armis irruit, eumque vulnerat, vel mutilat, uterque est puniendus: quia *Evocator* contra jus municipale alterum evocavit: & quia *Evocatus* comparuit, & nondum offensus, alterum prior vulneravit, vel mutilavit.

CXCII. Quinto & ultimo in vers. *Es soll auch ein jeder*, duo sanciuntur: Primum est, *Evocatorem* eo ipso in Magistratus poenam incidere, quod solum evocavit alterum: quia hoc ipso fecit, quod jure municipali facere prohibetur.

CXCIII. Nec refert an *Evocatus* cum *Evocatore*, vel hic cum illo congregiatur, nec ne: quia sola evocatio jure municipali est interdicta: nec etiam manus confertio requiritur.

CXCIV. Et propterea cum sola evocatione in constitutionem municipalem peccetur, & hoc ipso delictum sit consummatum: & cum nulla certa poena hoc casu sit expressa, ea pro arbitrio Senatus contra *Evocatorem* statuetur *arg. l. 1. §. 1. D. de jure delib.*

CXCV. Alterum, quod in fine statuti municipalis sancitur, est: *Evocatum* si emanet, & non comparet, nullam ignominiam notari.

CXCVI. Vulgo quidem opinantur, *Evocatum* non comparentem fieri infamem: adeo ut pro viro timido & effeminato ha-



to habendus, & à consortio, mensis, ac computationibus honestorum hominum arcendus sit.

CXCVII. Et in hujus ignominiae signum apud Germanos consuetum dicunt, laciniam, seu mappam, qua mensa integitur, pre ea parte, quam talis in accumbendo occupat, resecari, *Rodolph. Agric. in epist. de congress. Frider. Caesaris cum Carolo Duce Burgundia, & Sichard. cons. crim. 8. n. 41. cum seqq.*

CXCVIII. At nos hanc consuetudinem impiam, & injustam esse dicimus.

CXCIX. Impia est: quia evocato vindictam concedit, eumque sub infamiae metu cogit, ut se adversus Evocatorem ulciscatur: cum tamen in sacris literis privata vindicta severè sit interdicta.

CC. At injusta est: quia etiam Legibus omnis privata ultio atque vindicta passim est prohibita *l. scientiam 45. §. qui cum aliter l. si ex plagis 52. §. tabernarius D. Ad L. Aquil. l. nullus 14. C. de Juda. & caelic. & l. ul. C. de vi priv.*

CCI. Et certè si consuetudo non valet, nisi sit rationabilis: quia ratio est anima consuetudinis: quomodo hæc subsistet, quæ & sacris literis, & legibus repugnat?

CCII. Etsi enim consuetudinis ususque longævi non vilis sit auctoritas, non tamen est tanta, ut rationem vincat, aut legem *l. 2. C. Quæ sit longa cons. multò munus est tanta, ut valeat contra jus divinum, no. Panorm. in c. ul. n. 2. & 3. de consuetud.*

CCIII. Et hoc eò magis obtinere debet, cum nec illa ipsa ratio, ob quam hæc consuetudo est introducta, subsistat. Nam iccirco hæc consuetudo, & ex ea descendens vulgi opinio, Evocatum, & non comparentem, ignominiam notari putat, quod timidus sit, & effœminatus, nec cum altero congredi ausit.

CCIV. Nos verò dicimus, multas quidem tam civili, quàm Pontificio jure, ignominiae causas esse expressas: nullibi autem hanc causam reperiri: ut intolerandum sit, hanc contra jus & rationem à consuetudine introduci.

CCV. Imò re diligenter examinata dicimus, Evocatum nec pro forti habendum, si Evocatorem sequitur, nec timidum



& effœminatum esse, si non sequitur.

CCVI. Nam primò fortis is dicitur, qui circà maxima pericula intrepidus manet, *Aristot. lib. 3. Ethic. c. 9.* At verbis Evocatus circà pericula non manet intrepidus: quia revera nulla pericula sentit. Nec enim verbalis evocatio in ulla eum pericula coniecit: Ergò fortis appellari nequit.

CCVII. Deinde fortis non temerè quævis adit pericula: sed tantùm ea, quæ sunt honesta, & in quibus aliquid laude dignum, quodq; aliis utile sit, præstare potest *Aristot. d. lib. 3. c. 10.* At Evocatus, si Evocatorem sequitur, hoc non facit: quia non honestatis causâ pericula adit, sed vindictæ studio: & quia non propriam laudem, vel alterius utilitatem, sed hoc tantùm quærit, quomodò se erga alterum vindicare possit. Non ergò fortis, sed audax potius, & temerarius appellari potest.

CCVIII. Tertiò fortis adit pericula cum consilio & ratione *Aristot. d. lib. 3. c. 10. & 11.* At Evocatus rapitur ab affectu, nec audit rationem: sed vindictæ studio se alteri opponit, & quasi vitam suam prostituit. Dum enim extra periculum est, irâ & dolore impulsus, se in periculum coniecit. Et propterea non pro forte, sed pro audace potius est habendus: quia fortis non est, qui ex ira vel dolore in periculum impellitur, *Aristot. d. lib. 3. c. 11.* quod etiam beluas & bruta animantia facere videmus.

CCIX. Unde Lactantius lib: 6. Fortitudo, ait, si nullâ necessitate cogente, aut non pro causa honesta periculum subit, in temeritatem convertitur.

CCX. Unde quoq; Aristoteles *οὐ μὲν θρασεῖς αἰτ, προπελεῖς, καὶ βελόμενοι πρὸ τῶν κινδύνων* h. e. Audaces, præproperi sunt & præcipites, periculumq; , antequam in periculo versentur, adire volunt.

CCXI. Ex his autem e contrario apparet, Evocatum, si Evocatorem non sequitur, nec quoque pro timido & effœminato haberi posse.

CCXII. Timi-



CCXI. Timidus enim non est, qui DEI & Magistratus iram & offensionem timet: quia hic timor laudabiliter etiam in virum fortem cadit *Arist. d. lib. 3. c. 9. & 10.* At Evocatus iccirco non comparet: quod DEI & Magistratus offensionem timet: Ergo non est timidus.

CCXIII. Sic etiam timidus non est, qui ea pericula adire timet, quæ magis reprehensionem, quàm laudem merentur *Arist. d. c. 9. & 10.* At Evocatus si non comparet, talia pericula adire timet: quia, ut ante ostensum, si talia pericula adit, non fortis, sed potius audax & temerarius esse dicitur: Ergo non est timidus.

CCXIV. Et propterea his omnibus ita se habentibus, optimè statuto hujus civitatis superiori consuetudini (quæ tamen nomen consuetudinis revera non meretur) derogatum, & omnis evocatio severè provibita, & Evocati non comparentis honori satis consultum est: nisi hic, à temeritate victus, sibi ipsi consulere nolit: Et hæc de secundo, quod circa propulsandi verbum est notandum.

CCXV. Tertium quod Propulsandi verbum innuit est, quod propulsatio cum offensione commensuranda sit: quia propulsatio fit respectu offensionis: ut merito propulsatio intrà offensionis limites manere debeat, nè in vindictam degeneret.

CCXVI. Propulsatio enim propter offensionem suscipitur: propulsatio, inquam, iccirco suscipitur, ut quis se, vitam, corpusque suum ab alterius offensione defendat.

CCXVII. At qui ultrà offensionem adhuc propulsando infistit, is non amplius defensionem, sed magis vindictam sibi propositam habet: quia jam propulsator magis invadentem & invasorem ulcisci, quàm se defendere, magisque alterum in vitæ discrimen conjicere, quàm se à vitæ periculo liberare cupit. Quatuor autem modis propulsatio cum offensione non commensuratur, ut dicetur infra thesi 236. cum seqq.

CCXVIII. Verum enim vero quia propulsatio atque de-

D 3



defensio in facto consistit: & quia vulnera ad mensuram non dantur: quia, inquam, Defensor atque propulsator non habet stateram in manu, ut possit reverberare ad certam mensuram, vel se ad æquilibrium tueri.

CCXIX. Iccircò moderatio inculpatæ tutelæ certâ regulâ comprehendinequit: sed iudicis arbitrio est committenda: qui arbitrabitur, an quis in meris defensionis finibus stiterit, nec ne.

CCXX. Qua de causa Menochius, moderationem inculpatæ tutelæ, inter illos casus retulit, qui arbitrio iudicis committuntur *lib. 2. de arbitrar. jud. questio. casu 277.*

### *De fine & effectibus defensionis.*

CCXXI. Explicatis prioribus defensionis causis, restat ut de fine & effectibus agamus.

CCXXII. Sicut autem unius actus, juxta Thom. Aquinat. duo possunt esse fines, unus ex intentione agentis, alter præter ejus intentionem: ita etiam defensionis nobis duo videntur esse fines.

CCXXIII. Primus & principalis est tutela: quia iccirco vim & injuriam Defensor propulsat, ut se, suos, & sua tueatur.

CCXXIV. At alter est occisio aggressoris. Dum enim Defensor animadvertit, se non aliter vitam suam tueri posse, quàm ut aggressorem interficiat, jam præter intentionem primam, eò defensionem dirigit, ut invadentem occidat.

CCXXV. Ex quo à Scholasticis movetur quæstio, Si quis te armatâ manu, & tantâ vi invadit, ut metuas, nisi alterum interficias, nè mortem evadere possis, an nè tum eo animo, eaque intentione te defendere possis, ut aggressorem interimas?

CCXXVI. Et quidem Thomas Aquin. Cajetanus, Turre-

recre-



recremata, Fr. Victoria & Abulensis opinantur, non licere Defensori ita se tueri, ut occisionem, tanquã necessarium defensionis medium, sibi proponat.

CCXXVII. At contrarium statuunt Dominicus à Soto, Sylvester & alii, teste Binsfeldio in tract. de injur. & damn. dat. q. 5. concl. 3. vers. partem affirmantem: quibus & nos subscribimus.

CCXXVIII. Effectus quoque defensionis alius est principalis, alius accidentarius.

CCXXIX. Principalis est, qui ex intentione Defensoris per se oritur: ut est Salus proprii corporis: item Salus aliorum, & rerum nostrarum.

CCXXX. At accidentarius effectus est, occisio alterius. Defensor enim per se corpus vitamque suam tueri cupit: at dum in hoc occupatur, interdum accidit, ut aggressorem suum interficiat.

CCXXXI. Ex hoc autem secundo effectu oritur tertius. Qui enim in defensione adversantum mutilat, vel interficit, nec de expensis, nec de ullo damno occisi heredibus tenetur: quia quod fecit, jure fecit.

CCXXXII. Ex quo occiso potius, quàm Defensori, damnum datum est imputandum.

CCXXXIII. Quartus defensionis effectus est, quod defensor non incurrat pœnam fractæ pacis, sive hæc pœna legalis sit, sive conventionalis: item quod donatarius, donatorem in sui defensione interficiens, re donatâ privari nequeat: quia cum defensio omni jure permessa sit: meritò nullam pœnam meretur, qui hoc jure utitur.

### *De iis quæ defensioni repugnant.*

CCXXXIV. Restat ut de iis quæ defensioni repugnant agamus: quia contraria juxtâ se posita magis elucescere solent.

CCXXXV. Repugnat autem defension i, si quis moderationem inculpatæ tutelæ egreditur: hoc est, si non inculpatè  
vim



vim atque injuriam propulsat: quia tum id agit, quod defensioni adversatur.

CCXXXVI. Et hoc quatuor fit modis: Primus est, Si quis alteri minanti, & ad se cum gladio venienti, sine necessaria causa se opponit.

CCXXXVII. Si quis enim stat pro foribus suis, & minantem, ac ad se venientem adversarium, occlusâ januâ arcere potest: at mavult adversarium opperiri, & illi coram resistere: is sanè modum defensionis excedit: quia illi se opponit, cui se opponere non fuit opus: & quia illius vim propulsat, quam occluso ostio vitare potuit.

CCXXXVIII. Eodem modo si quis ex ædibus suis videt adversarium sibi minantem, aut se ad certamen provocantem: si ex ædibus in illum lapides jacet, vel si cum illo digladiatur, certè iterum se ultrâ modum defendit: quia cum verbis tantùm fuerit læsus, factò se illi opponit: & quia septis ædium suarum defenderetur, hæc sine necessaria causa egressus, vim alterius propulsat.

CCXXXIX. Et propterea qui hoc casu Evocatorem interfecit, arbitrio judicis puniri debet: quia revera nullam vim sensit: Sed quam passus est, sibi ipsi accersivit: & quia sine justa causa alterum occidit

CCXL. Alter modus, quo non servatur inculpata tutela, est, Si vis & injuria sine armis infertur, at armis repellitur.

CCXLI. Si quis enim te pugnis invadit: non debes illi gladio, vel alio teli genere, resistere: quia regulariter per pugnos vita hominis non periclitari solet.

CCXLII. Qua de causa constit. Carolin. art. 140. requiruntur *Tödliche Waffen oder Wehr*.

CCXLIII. Excipimus duos casus: Primus est, si alter, qui pugnis percutitur, gladium, vel hastam, vel aliud telum in eum finem opponit, ut tantùm caveat, nè verberetur: alter verò  
nihilominus



nihilominus pugnis insistit, & cedit.

CCXLIV. Sanè si tum pugnis cæsus, gladio, vel hastâ audacem & temerarium aggressorem ferit, jure fecisse videtur: quia illum ferit, qui, cuspide gladii vel hastæ monitus, recedere noluit: & quia illum ferit, qui vim fecit: quia deniq; jam vi alterius impulsus, non immeritò se ipsum quocunque modo tue-

tur.  
CCXLV. Nec ad rem facit, quod alter sit inermis, alter verò armatus: quia nemo inermem coëgit, ut armatum aggredderetur, & pugnis percuteret, inque illius tela cæco furore irrueret: & quia aggressor temerario magis corporis objectu, quàm alterius defensoris telis læsus atq; offensus intelligitur, *ex sententia Salomon. d. l. 3. n.º 9. D. de just. & jur.*

CCXLVI. Alter casus est, si homo senex, vel valetudinarius, vel qui imbecillo corpore est præditus, à juvene vel viro robusto, pugnis ceditur: vel si quis manu tam robustus est, ut pugno quemcunq; interficere possit, ut fuit quidam Perusinus, qui unico pugno in capite, & homines, & boves interimere potuit: *Vvesenb. Cons. 19. n.º 57. vers. sed si adversarius vol. 1.*

CCXLVII. Tum enim cedentem pugnis, rectè quis armis repellit. quia eò res devenit, ut pugnis cæsus aliter se defendere non possit.

CCXLVIII. Ideoq; tum armata defensio, non immeritò pro justa habetur: & consequenter talis armatus Defensor pœnâ homicidii non tenetur: quia vim illatam eo modo repulit, quo potuit.

CCXLIX. Tertius modus quo moderatio inculpatæ tutelæ exceditur, est, Si quis graviore vulnere, vel etiam cum cæde alterius vim propulsat: qui leviori plagâ, vel sine cæde eam repellere potuit: quia tum vim propulsando, & se defendendo plus facit, quàm oportet.

CCL. Nam si quis te levi baculo percutit, tu verò hastâ, vel gladio ictus non avertis, sed percutientem in capite graviter

E



vulneras, vel omninò interficis: sanè vim passam longè excedis: quia ultrà offensionem, propulsationem intendis.

CCLI. Sic etiam si puer aliquis, vel mulier te fuste percussit: tu irâ incensus gladium arripis, & eo vim illatam propulsas: puerumque, vel mulierem occidis: iterum vim passam longè egrederis: quia pueri, vel mulieris offensionem negligere, vel eam sine gladio atque cæde propulsare potuisti.

CCLII. Secundo autem, & hoc tertio modo, is qui moderamen inculpatæ tutelæ non servavit, non pœnâ homicidii, sed citra mortem arbitrio iudicis puniri debet: quia ab initio justè egit: & quia vis alterius, subsequenti injustæ actioni causam dedit.

CCLIII. Non enim incipit qui per iram resistit, sed qui provocavit: quia ille est princeps culpæ, à quo incipit malitia teste Baldo: & quia provocato difficile fuit iracundiæ calorem comprimere *l. si adulterium 38. §. Imperator D. Ad L. Jul. de adul.*

CCLIV. Quid ita? Quia ira vix consilium admittit: ut quæ secundum Ciceronē & Ennium consilio & rationi contraria, & initium insanix est: & quia primos animi motus vix aliquis in sua potestate habet: quia denique secundum Senecam, difficile est, ut injuria cum patientia conveniat.

CCLV. Et propterea irritati animi meritò habetur ratio: *l. qui cum major 14. §. si libertus D. de bon. libert.* quia inconsultus calor dolo caret. *l. 1. §. quæri D. Ad SC. Turpil.* & consequenter propriâ caret criminis notâ. Nullum enim crimen sine dolo est. *l. 1. §. 1. D. Ad L. Corn. de Sicar.*

CCLVI. Quartus modus, quo quis moderationem inculpatæ tutelæ excedit, est, Si quis cessante offensione, adhuc alteri per vim insistit.

CCLVII. Offensione enim cessante, etiam offensus propulsationem sistere debet: quia inter offensionem & propulsationem est mutuus respectus & relatio: ut uno sublato, etiam alterum tolli debeat.

CCLVIII. Et propterea si aggressor post vim illatam au-  
fugit,



fugit, & alter eum fugientem sine causa insequitur, & occidit: certè is moderationem inculpatæ tutelæ excedit: quia cessante vi, se non amplius defendit, sed vindicat atque ulciscitur.

CCLIX. Et propterea quoque si quis contra te manum gladio armatam levavit: tu verò ei manum, in altum sublatam, gladio amputasti: tum ejus vim atque ferociam satis avertisti atque fregisti.

CCLX. Quod si post manus amputationem, eundem lamentantem, & DEI hominumque opem implorantem, amplius insequeris: & non solum vulneras, sed etiam planè interficis: omninò moderationem inculpatæ tutelæ egrederis: quia offensione cessante per vim insistis: quia, inquam, eum adhuc amplius vulneras, vel planè interimis, qui te offendere magis nec voluit, nec potuit.

CCLXI. Et in hoc casu Decius & alii contendunt, Defensorem pœnâ homicidii teneri, arg. Dominorum & præceptorum, qui si modum emendationis excedunt, ut homicidæ puniuntur *l. i. C. de emend. serv. D. l. sed et si s. §. ul. D. Ad L. Aquil.*


CCLXII. At nos in hoc quarto modo, idem quod in secundo, & tertio modo, statuendum dicimus. Semper enim irritati animi habenda est ratio: & inconsultus calor dolo caret.

CCLXIII. Nec eadæ inter Dominos, & Præceptores corrigentes, & inter eos qui contra vim & injuriam alterius se defendunt, est ratio: quia correctio, vel emendatio, tranquillo & benevolo animo fieri debet: at defensio sine animi perturbatione fieri nequit: & quia corrigentibus lora tantùm & flagella concessa sunt: at Defensores quibuscunque armis contra aggressores uti possunt, diximus suprâ thesi 30.

CCLXIV. Itaque non immeritò diversum jus inter eos statuitur, qui injuriâ laceffiti, iracundiæ fervore & justo dolore perturbati cædunt, & inter eos qui nullâ injuriâ provocati sæviunt, ait Salomon. *in l. 3. n. 12. in ff. D. de jus. & ju.*

F I N I S.







E  
V  
R  
di














52  $\frac{4}{h_1}$


AB: 52  $\frac{4}{h_1}$

X2612872









DISPUTATIO  
 DE DEFENSIONE  
 NECESSARIA:

EX SCHOLIS CLARISSIMI  
 VIRI, DOM. GEORGII OBRECHTI  
 ARGENTINENSIS REIPUB. ADVOCA-  
 TI, ET ACADEMIÆ ANTECESSO-  
 RIS CELEBERRIMI, EX  
 CERPTA:

ET SUB EJUSDEM PRÆSI-  
 DIO PUBLICI EXERCITII CAUSA  
 PROPOSITA

à

CAROLO JÖRGER LIBERO BARONE  
 IN KREUSPACH, AUSTRIÆ SUPERIORIS  
 PRÆFACTO HÆREDITARIO &C.



ARGENTORATI.

*Typis Joesæ Ribelii, per Andream Rietzschium,*

ANNO CHRISTI M. DC. IIII.

